



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 68. Joannis Pici Mirandulani propositiones a Papa proscriptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. in Sanctarum numerum fuisse relatum,
A.C. 1487. ejusque caput Duaci apud Jesuitas Sco-
 tos religiose asservari traditur.

§. LXVIII.

*Joannis Pici Mirandulani propo-
 sitiones a Papa proscriptæ.*

Trith. & Bellar. de Script. eccl. Paul. Jov. in elog. 39. Dupin. Bibl. Script. to. 12. p. 106. P. Alex. hist. sæc. 15. p. 1. p. 104. Argentre Collect. jud. de novis error. t. 1. p. 320. & seq.

ANNO præcedenti Joannes Picus Mi-
 randulæ, & Concordiæ Comes, inter
 omnes ævi sui Viros eruditionis gloria
 facile Princeps, Romæ nongentas de
 Theologicis, Mathematicis, Magicis, Ca-
 ballisticis, de naturalibus, divinisque re-
 bus quæstiones disputandas proposuit,
 quas non modo ex Græcis & Latinis, sed
 etiam Hebraicis & Chaldaicis Auctori-
 bus decerpserat. Eo tempore Picus
 nonnisi viginti tres annos numerabat,
 has tamen theses per totum, qua late
 patet, orbem divulgatas in omni scientia-
 rum genere longe versatissimus rara re-
 rum cognitione propugnabat; inde vero
 scientiæ suæ fama magis magisque in-
 clarescente æmulorum invidiam in se
 provocabat, ac nonnulli ejus propositio-
 nes impugnabant, affirmantes, quod non
 paucae earum de fide suspectæ essent.
 De his monitus Pontifex illas, prout e-
 rant excerptæ, eique exhibebantur, vi-
 ris doctis examinandas commisit, qui tre-
 decim

decim omnino propositiones haud propu- Sæcul. XV.
A.C. 1487.
gnari posse censebant. Nihilominus Pi-
cus eas prolixa Apologia intra septende-
cim dies elucubrata, quæ etiam ejus-
dem Auctoris operibus præfixa est, de-
fendendas suscepit, referens rem prorsus
singularem, ex qua facile dignosci pot-
est, quam foecunda errorum parens sit
ignorantia. Ait enim, „quemdam Theo-
logum, qui præ ceteris propositionum
„ censuram sibi arrogabat, interrogatum,
„ quid verbum *Cabula* significaret, re-
„ spondisse, hominem esse impium, &
„ hæreticum, qui contra Christum Do-
„ minum calamum suum acuisset, inde-
„ que ejus Sectatores nomine ab eo mu-
„ tuato *Caballistas appellari.* „ Nec ampli-
orem quam ille Theologus rerum di-
vinarum humanarumque cognitionem
affecuti videntur illi, qui Joannem Picum
Magiæ postulabant, cum intelligere haud
possent, quod ille viginti trium annorum a-
dolescens tam eximia doctrina imbutus es-
set. Interea tamen Pontifex sub anathema-
tis pœna hæc theses legere vetuit, Pi-
cumque Mirandulanum Romam venire
jussit; nil tamen amplius tum in hæc
caussa actum est.